

quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Scio aliquos interpretari de pœnitentia apud Isaac patrem suum, et de reprobatione ab ejus benedictione, quod significant Theophylactus, et Cajetanus super istum locum, licet Chrysostomus homil. xxxi ad Hebræos, D. Thomas super caput xii ejusdem epistolæ, non veram pœnitentiam habuisse erga Deum sentiant.

QUID DE REPROBATIONE PRÆSUPPONENTE IN NOBIS PECCATUM ORIGINALI?

XXVIII. Dico secundo: In hominibus de facto in quibus præcessit peccatum originale ordinem reprobationis, fuit quidem ex parte peccati originalis in ipsis prævisi, et in Adam, sufficiens causa ad reprobandum eos a gloria, etiam per modum punitionis, vel omnes, vel aliquos quos vellet. Non tamen de facto usus est Deus hoc motivo ut ratione adæquata ad reprobationem omnium qui reprobantur, nec ad reprobandum comparative unum præ alio. Si qui tamen damnantur propter peccatum originale, vel propter illud eis denegatur auxilium sufficiens ad credendum, peccatum originale est causa talis reprobationis. Nullo autem modo peccatum semel remissum est causa alicujus reprobationis sive a gloria, sive a gratia. Hæc conclusio ponitur ad explicandam reprobationem sub eo modo quo de facto contingit in hominibus, et ad expendendum mentem Augustini qui videtur in pluribus locis docere reprobationem hominum fuisse relictionem in massa perditionis ex justo judicio Dei punientis in eis originale peccatum. Supponimus autem quod reprobatio, ut de facto contingit ex nobis, facta est post prævisum, et permissum pecca-

tum originale, et destructionem status innocentiae. Itaque gratia illa pro statu innocentiae, et status ipse non ex prædestinatione causabatur, sed ex providentia generali in ordine supernaturali, et ex eodem principio lapsus ille a tali statu, et gratia permissus est, et non ex reprobatione, deinde vero toto humano genere jam infecto, reprobatio et prædestinatio facta est. Hoc præsuppositum debet necessario admitti, posito quod electio hominum ad gloriam non est facta, nisi in Christo, ut redemptore, nec ipsi prædestinati sunt, nisi ut redempti, et per media redemptiva. Quod ut certum debet supponi, sive decretum incarnationis, et adventus Christi fuerit determinatus ante prævisum originale peccatum, sive post: quidquid enim de hoc sit, tamen de facto nullus est prædestinatus, et electus ad gloriam pro statu innocentiae, quia ille status non duravit, nec est electus nisi in Christo ut redemptore, et post decretatum munus redemptoris (quidquid sit, an alias veniret, etiam si non veniret ad redimendum) quia in Christo elegit nos Deus ante mundi constitutionem, et pro omnibus mortuus est, ut vivificaret omnes, nec nisi in ejus sanguine justificati sumus. Electio ergo, et prædestinatio efficax non nisi per modum redemptionis facta est: ergo quando est facta, jam supponebat peccatum a quo redimeret, et eriperet electos: si enim non supponeretur peccatum, non poterat intelligi redemptio qualis facta est, et ordinario modo fit. Rursus reprobatio exclusiva a gloria non est facta, nisi post ejectionem: ex eo enim aliqui rejecti, et reprobatii sunt, quia alii electi: si enim prius esset rejectio quam electio, vel esset rejectio omnium efficax, et tunc non possent ex illis aliqui eligi, vel esset aliquorum tantum rejectio, et tunc

esset discretio ab aliis non rejectis, et non per Christum: ergo si electio, quia erat redemptiva, supposuit peccatum, a fortiori reprobatio peccatum illud supposuit quod supponebat electio, et hoc erat peccatum originale.

XXIX. Ex his manet probata prima pars conclusionis, Si enim reprobatio, ut de facto contingit in nobis, post electionem redemptivam in Christo supposuit peccatum originale: ergo supposuit sufficiens motivum, et rationem ad puniendum illos, quos Deus reprobat. Patet consequentia, quia peccatum originale est sufficiens ad excludendum hominem a gloria, quia reddit hominem peccatorem privatum gratia, et odio dignum: ergo sufficiens motivum damnationis, et punitionis in se habet ad excludendum a gloria quemcumque Deus excludere voluerit propter tale peccatum, quia ex vi illius debitor est æternæ mortis, et de facto multi propter illud solum damnantur, ut parvuli. Quod si non omnes voluerit punire, sed misericorditer liberare, gratia erit divinæ, non tamen alios punire injustitiæ erit iniquæ, quia ex pluribus debitoribus potest creditor uni donare, et ab altero exigere sine ulla injustitia.

XXX. Secunda vero pars conclusionis, quod Deus non fuerit usus peccato originali, ut ratione adæquata reprobationis omnium, patet, tum quia pluribus remissum est tale peccatum, qui tamen damnantur: ergo non potest tale peccatum remissum esse ratio, et motivum damnandi, seu rejiciendi a gloria per modum damnationis, quia culpa remissa non potest damnatione puniri, nec potest in Deo componi decretum remittendi peccatum cum decreto damnandi, et puniendi illud: *Nihil enim damnationis est his*

*qui sunt in Christo Jesu*, ut dicitur Rom. viii, « et in renatis nihil odit Deus, » ut dicit Concilium Tridentinum sess. v, can. v; multum autem odiret, si propter peccatum remissum damnaret. Tum etiam quia multi damnantur ut adulti propter peccata actualia, sive illis fit remissum originale, sive remissum non sit: ergo peccatum originale quod solum præcedit in humano genere ante prædestinationem, et reprobationem non potest esse adæquata causa reprobationis hominum, cum propter alia etiam peccata multi damnentur in executione, et sic vel ratione peccati originalis prævisi sit tota, et integra reprobatio, vel non. Primum stare non potest, cum in re propter peccata actualia damnentur multi tamquam adulti. Si secundum: ergo non est adæquata ratio reprobandi peccatum originale, sed alia actualia. Hæc autem licet radicaliter a peccato originali deriventur, tamen non operantur ad actum punitionis, et condemnationis prout sunt in illa radice quasi in potentia: nullus enim punitur actuali exclusione propter peccata, quæ solum sunt in potentia, et nondum considerantur in actu, pro illo tunc, quando consideratur exclusio illa punitiva. Vel oportebit ponere exclusionem a regno antedecenter ad illa peccata, propter quæ postea in re, et in executione condemnabitur, et tamen quod antedecenter ad illa propter peccatum originale tantum reprobat, quod est pro illo priori reprobari ut parvulum, et postea in executione damnari ut adultum propter peccata actualia, et sic dimidiatam facere reprobationem. Tum denique non utitur Deus peccato originali ut motivo ad reprobandum reprobatione comparativa, quia cum æquale sit pro omnibus, non præbet de se motivum inæqualis discretionis, ut scilicet unus



præ alio assumatur et sic reduci debet ista comparativa reprobatio ad voluntatem Dei, licet ea posita, in his quos relinquit et rejicit, iudicium exercere possit ratione peccati originalis, dummodo nec illud sit remissum, nec propter alia actualia facienda sit reprobatio.

XXXI. Tertia pars conclusionis ponitur ad explicanda quædam loca Augustini in quibus videtur docere reprobationem hominum factam esse a Deo per modum iudicii ob peccatum originale, et in pœnam ejus obdurari, et relinqui a Deo illos, qui non justificantur per gratiam, ex misericordia autem liberari quicumque liberantur. Sed Augustinus intelligendus est de his, quibus peccatum originale non est remissum, aut certe solum vult docere quod in his qui a Deo relinquantur, et reprobantur, cum alii salventur, nulla est causa juste querelæ, aut injustitiæ ex parte Dei, cum ad eos damnandos, et reprobandos habeat sufficientem causam, si velit illa uti in peccato originali, qua tamen de facto in aliquibus utitur, quibus tale peccatum non remittit in aliis, non quibus illud remittit, vel propter alia condemnat. Loquitur etiam in pluribus locis de reprobatione ut punitiva, quæ peccatum originale punit, quando non est remissum.

XXXII. Igitur respectu eorum quibus peccatum originale non remittitur, optime posse Deum uti tali peccato ut motivo ad excludendum eos a regno etiam per modum intentionis, et avertendo cor suum ab illis patet, quia nulla in hoc apparet repugnantia: potest enim Deus, quando ex tali massa damnabili, et quæ meretur damnationem æternam aliquos misericorditer eligit, alios relinquere etiam attendendo ad talem culpam, et demeritum quod in illis est, quod non vult

remittere in perpetuum, et consequenter vult illos reprobare, seu non eligere propter tale peccatum, ita quod etiam ipsa non electio, et ipsum nolle uti misericordia, sit punitio talis culpæ: id enim totum meretur illa culpa, ut Deus nullo modo misereatur illius. Quod si id meretur, quis prohibet Deum tali motivo uti, et sic per modum iudicii, et punitiois denegare misericordiam, et non eligere illos, sicut in executione propter idem peccatum eos damnat, et punit?

XXXIII. Quod vero attinet ad sensum Augustini cum Pelagiani, et Semipelagiani objicerent non posse et eadem massa in qua æqualiter omnes sunt infecti, quosdam a Deo eligi, alios rejici pro sola voluntate sua, sine acceptione personarum, et aliquo genere injustitiæ, conatus fuit Augustinus hac nota divinam voluntatem liberare, ostendendo quod si omnes damnationem merentur ex peccato originali, misericordiæ, et gratiæ divinæ est, quod aliquos eligat, sed si alios relinquat, non habent conqueri, nec injustitiæ Deum arguere, quia ex duobus debitoribus quod uni remittatur debitum, ab alio exigatur, nulla est iniquitas, neque personarum acceptio. Hoc autem fortius currit, et ad unguem in his quibus peccatum originale non remittitur, qui hi totaliter relinquuntur in massa perditionis, tam quoad gratiam remissivam, quam quoad gloriam, et ideo in his urgentius currebat argumentum hæreticorum. Nam illi quibus originale peccatum remittitur, jam eripiuntur misericorditer a massa damnabili, et illis fit gratia, et remittitur debitum, sed ipsi sponte sua iterum labuntur in perditionem per peccatum actuale, et ob illud in executione damnantur. Et ideo in illis non poterant Pelagiani ita urgere quod esset ac-

ceptio personarum apud Deum, relinquendo istos, et eligendo alios: erat enim plana responsio, quod etiam isti non sunt relictii, cum eis misericorditer Deus peccatum indulserit. Si vero ipsi iterum voluerunt se perdere, quid mirum quod damnentur? Et ita non videtur quod argumentum hæreticorum loquebatur de illis: sed solum posset aliud argumentum formari, quomodo ex duobus justis, seu ex duobus quibus peccatum est remissum, unus relinquitur alter assumitur, uni datur gratia ut perseveret alii non; sicut poterat fieri argumentum in Angelis, quod totum Augustinus reducit ad inscrutabile Dei iudicium, ut in mille locis patet, non autem reducit ad peccatum originale. Quando ergo docet ratione peccati originalis unum rejici, cum alter misericorditer eligatur, loquitur de his quibus tale peccatum non est remissum, de quibus argumentum hæreticorum poterat urgere.

XXXIV. Loquendo ergo de his quibus originale peccatum non est remissum, plerumque docet Augustinus eis denegari gratiam, aut in massa perditionis relinqui ex debito iudicio Dei, et ex merito culpæ suæ, scilicet originalis, propter quam possent omnes damnari, ut in epistolis cv et cvi et in enchiridio, c. xcvi et xcix, libro de prædestinatione sanctorum, c. xiv et bono perseverantiæ, c. vi et alibi sæpe. Quæ tamen loca sine ulla inflexione, sed in plano sensu intelligi possunt de reprobatione, ut executiva, et punitiva, ita quod unus effectus, scilicet denegatio gratiæ ad credendum, vel damnatio ultima habeat pro causa, et motivo peccatum originale in his, quibus remissum non est, et in hoc nullum apparet inconveniens, et Augustinus sufficienter hoc modo satisfaciebat hæreticis volentibus esse in Deo acceptionem persona-

rum, si unum eligit, alterum relinquit pro sua voluntate: respondetur enim quod in executione non punit, neque reprobatur damnative pro sua voluntate, sed pro nostra culpa. Cæterum loquendo de tota collectione effectuum reprobationis, et de ipsa reprobatione non in executione, sed in intentione, non apparet quod Augustinus ponat pro ejus causa, et motivo peccatum originale, loquendo generaliter, et absolute. Eodem modo intelligendus est S. Thomas quando dicit 2-2, q. ii, art. v ad 1 quod: « Auxilium gratiæ ad credendum, quibuscumque datur misericorditer datur, quibus autem non datur ex justitia non datur in pœnam antecedentis peccati, et saltem peccati originalis, ut docet Augustinus libro de correptione et gratia, » loquitur enim D. Thomas sicut et Augustinus de his quibus peccatum originale remissum non est, et de denegatione gratiæ in executione, et per modum punitiois facta in pœnam alterius peccati. Et similiter ibidem q. x, art. i inquit quod: « Infidelitas pure negativa non est peccatum, sed pœna, quia talis ignorantia divinarum ex peccato primi parentis consecuta est. » Ubi loquitur de ipsa mera carentia fidei, quæ tunc solum datur, quando alicui non est sufficienter proposita fides: si enim sufficienter sit proposita, et non credat, est infidelitas privativa, et peccatum. Cui autem non est proposita fides, supponitur quod nec fuerit baptizatus, nec originale ei fuerit remissum, et tunc bene potest in pœnam talis peccati non remitti, et fides negari, et gratia, et gloria; et sic reprobari. Quod si parvulus baptizetur, sed nutriatur inter infideles, ve in silvis, et non credat infidelitate mere negativa ex defectu instruentis; tunc illa infidelitas seu ignorantia, in ratione ignorantiae est effectus



peccati originalis, sicut quælibet alia ignorantia, quæ est vulnus ex peccato relictum. Negatio autem auxilii ad habendam fidem, et exuendam istam ignorantiam non est in pœnam peccati originalis in isto baptizato, sed ex occulto iudicio Dei. Quando autem in tertio contra gentiles. c. CLIX dicit D. Thomas : « Relinqui hominem a Deo propter impedimentum quod præstat gratiæ, » non est sensus quod reprobatio Dei habeat pro causa, et motivo tale impedimentum, sed quod in executione denegatur a Deo gratia propter impedimentum saltem concomitans, sicut propter unum effectum reprobationis aut prædestinationis fit alter.

XXXV. Solum superest difficilior locus Augustini qui versans illum locum Apostoli : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, dicit : « Deum non odio habere Esau hominem, sed Esau peccatorem. » Addit autem : « Cur ergo Jacob dilexit? Numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo non culpam quam debebat, sed gratiam quam donabat. » Ita habet lib. I ad Simplicianum, q. II. In enchiridio autem, c. XCVIII ostendens de quo peccato Esau loqueretur, cum dixit : Esau odio habui, plane de peccato ejus originali loqui docet, cum inquit : « Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit : Miserebor cui misertus ero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau odio habuit per iudicium debitum. » Fit ergo argumentum : Quando Augustinus dicit quod odio habuit non Esau hominem, sed Esau peccatorem, vel loquitur de Esau peccatore peccatis actualibus, et ut adultus, vel peccato originali. Primum est contra ipsum Apostolum qui dicit : *Cum nihil boni aut*

*mali fecissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; ubi non solum ex operibus jam factis, sed neque ex futuris, et prævisis Esau esse reprobatum, et odio habitum Augustinus docet. Si secundum, ut ipse significat Augustinus loco citato; ergo jam propter peccatum originale etiam remissum aliquis reprobat, quia Esau circumciscus est, sicut Jacob a patre suo Isaac, et ei remissum est originale peccatum; et iterum cum Esau sit reprobatus ut adultus, et non ut parvulus : ergo in sententia Augustini etiam pro adultis peccatum originale est causa reprobationis adæquata, non reprobationis ut punitio est in executione : sic enim etiam pro actualibus puniuntur : ergo reprobationis ut est denegatio beneficii indubiti.

Respondetur quod in primo loco Augustinus loquitur de Esau peccatore, non determinate pro peccato actuali, vel originali, sed indefinite. Et potest intelligi quod odit Deus Esau peccatorem, non quia præsuppositivè esset peccator ante primam intentionem reprobandi, seu non eligendi, vel si erat peccator ob originalem culpam, quod Deus uteretur illa culpa ut motivo, si quidem volebat illam remittere, sed quod odit Esau peccatorem peccato consequenti, si quidem ex tali odio, seu aversione Dei consequendam erat ut permetteretur labi in peccatum, et hoc odit Deus; sicut dici potest quod Angelos peccatores odit, et bonos diligit, non quod præsuppositivè essent peccatores, cum omnes sint creati in gratia, sed quod consequenter peccatores essent. Et sic non ex operibus, etiam futuris, et prævisis Deus odio habuit Esau tamquam ex motivis, et causa odio habendi, sed potius ex aversione, et odio illo negativo, seu non electio-

ne, et non dilectione, consecuta est permissio peccati quod Deus positive odio habuit in Esau. In posteriori autem loco, ubi videtur Augustinus loqui de Esau ut peccatore peccato originali æqualiter cum Jacob, dicimus quod licet Augustinus parificet illos quantum ad hoc quod nascerentur adstricti peccato originali, et filii iræ, tamen quando postea dicit quod Esau odio habuit per iudicium debitum quod de se debebatur ambobus, ibi abstraxit ab hoc quod Esau fuerit, vel non fuerit circumciscus, et locutus est de eo, non ratione suæ personæ, sed ut gerit personam eorum qui in massa perditionis fuerunt relictæ sine remissione originalis : locutus est enim de Jacob, et Esau in statu quo considerabantur nati ex Adam, et vinculo damnationis obstricti, ut patet in prioribus verbis. Cum autem hic status non duraverit in eorum personis, quia per circumcisionem peccatum originale remissum est, restat ut loquatur de illis, non in suis personis, sed ut gerunt personam eorum quibus hoc peccatum remissum non est, et pro eo statu, quo non est remissum.

XXXVI. Denique, ex his innotescit ultimum quod in conclusione dicimus, scilicet propter originale remissum, neminem reprobari. Quod patet: nam si loquamur de reprobatione ut punitiva in exercitio, impossibile est quod peccatum originale remissum in baptismo sit causa hujus punitivæ : sic enim esset causa damnationis, cum ratione illius inferretur tanta damnatio, qualis est æterna punitio; et sic multum damnationis inesset in renatis, cum esset adhuc aliquid dignum puniri damnatione æterna, quod est expresse contra Concilium Tridentinum sess. v et contra Apostolum ad Rom. vii dicentem : *Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Je-*

*su* : ergo peccatum remissum in renatis non est causa reprobationis æternæ ut punitivæ.

Dices : Non est causa immediata punitivæ, quasi propter ipsum peccatum remissum irrogetur pœna : hoc enim repugnat si jam remissum est, sed est causa mediate, quatenus ob peccatum originale etiamsi remissum sit, et in pœnam illius Deus privat aliquem gratia congrua, et efficaci, et permittit labi in peccatum propter quod punitur æternaliter, sicut propter peccatum, etiam remissum, et in pœnam illius irrogatur mors, rebellio, fomesque appetitus, et alia mala corporis, quæ sunt effectus, et pœna peccati, etiam remissi. Sed contra, quia mors, et aliæ pœnalitates corporis non irrogantur de novo propter peccatum remissum : sic enim eadem curreret difficultas, nec remanent in homine justificato ut pœnæ ipsius personæ, sed ut pœnalitates naturæ. In ipso autem puncto contractionis peccati consequuntur, ut pœnæ, quia cum privet peccatum tunc non solum gratia sanctificante, sed etiam dono justitiæ originalis, quæ vires corporis continebat omnino subjectas animæ, et juvabatur corpus esu ligni vitæ ad reparanda intrinseca damna, et protectione Dei ad evitanda extrinseca; ideo etiamsi redeat gratia sanctificans remittens peccatum, quia tamen non redit donum justitiæ originalis, neque illa extrinseca protectio, et alia remedia contra mortem, relinquuntur pœnalitates prius irrogatæ propter peccatum, non de novo incurruntur. De quo videri potest D. Thomas 1-2, q. LXXXV, art. v ad II et art. III et q. v de malo, art. IV et v. Non enim per gratiam tolluntur statim omnes pœnæ peccati, sed tollendæ relinquuntur in alia vita. At vero denegatio gratiæ congruæ est aliqua carentia de no-